

Bibliothèque numérique

medic@

**Burgaliere, Jean - candidat / Disdier,
François-Michel - président. - De
costarum fractura**

1764.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2343, n°4



4

D. O. M.
DE COSTARUM FRACTURA
THESES
ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.


I.



MIRA officium compages suam humano corpori dignitatem conciliat, suum præbet adminiculum. Hoc quippè munimento destituta corporis moles nec stare posset nec in omnem sensum flecti ac moveri. Si ergo in ossibus quælibet supervenerit læsio, inde oriètur non modo deformitas, sed etiam periculum imminebit majus minus-ve, habitâ partis aut læsionis ratione.

I I.

INTER ossa costæ locum obtinent non ultimum. Iisdem ferè muniis deputantur, iisdem penè subjacent calamitatibus quarum



2

longè periculosior fractura. Hæc postrema morbi species tractanda nobis incumbit, quam ut faciliùs explanare valeamus, multùm juyabit partium structuram pernoscere.

I I I.

COSTÆ duodecim utrinquè in veras & spurias distinctæ; ossa sunt complanata, longa & arcuata mediantibus cartilaginibus sterno anticâ in parte conjuncta, posteriùs verò vertebris dorsalibus. Una quæque costa in partem mediam & extrema solet dividi, & in iis plurimæ annotandæ veniunt partes. Sursùm & deorsùm plurimis moventur costæ musculis quorum alii proprii & alii communes habentur; aliundè secundùm totam thoracis peripheriam vasa cujuscumque generis quæ in costarum fracturis affici possunt diligenter sunt observanda. Cum autem nimis in longum protraheretur singularum illarum partium descriptio, satis habebimus, si quæstionibus ad objectum nostrum pertinentibus, nostris pro viribus responderimus.

I V.

FRACTURAM vocamus continuitatis in osse solutionem à quâcumque causâ externâ & contundente productam.

V

VARIÆ sunt fracturarum species quibus costæ affici possunt; variis proindè spectandæ modis. Harum differentiæ à naturâ, figurâ, amotione partium fractarum nec non accidentibus repetuntur. Sic costarum fractura vel est simplex, vel composita, vel vulnere aut alio affectu stipata; transversa etiam, obliqua, vel cum fragmentis distinguitur; prout etiam diversimodè agit causa frangens, vel intrinsecùs nec extrinsecùs tendunt partes fractæ. Fracturam costæ subsequuntur quandoque dolor acutus, dyspnæa, à puncturâ pleuræ vel pulmonum emphysema, ab arteriæ intercostalis læsione hæmorrhagia seu interna seu externa; hæc autem accidentia ut plurimùm subsequuntur, sicut & causas, ætatem laborantis & habitum, diligenter explorari non ratio tantùm præscribit, sed & ars imperat.

3
V I.

VARIIS dignoscuntur costarum fracturæ signis ; quæ in communia & in propria, imò in æquivoca & certa distingui solent ; illa autem ex tactû, visû auditû & imprimis accidentibus deduci possunt. Si adsit in latere inæqualitas ; si costæ segmenti pars promineat vel deprimatur ; si in ossè solutionem continui digiti sentiant ; si percipiatur crepitus ; si ægra sit respiratio ; si denique prodeat emphysema, hæc erit costæ fracturæ diagnosi. At Chirurgus vel peritissimus & longâ in arte experientiâ edoctus vix ac ne vix quidem dignoscet costarum fracturas eo potissimum casu quo levissima aut potius nulla omnino partium læsarum disjunctio (frequens porò id evenit) seu cum maxima in membranæ communis textû cellulari aderit pinguedinis copia.

V I I.

STATUTA semel fracturarum diagnosi, prognosis earumdem facili negotio inferitur, modò parumper expendantur differentiæ.

V I I I.

CUM multiplex sit fracturarum in costis supervenientium species, non una & eadem debet esse tractandi methodus. Si nulla aut saltem levis existet partium fracturarum dimotio, nihil aliud tunc Chirurgus agendum, nisi ut partes affectas in statu contineat naturali. Probandum præstant illius, quies & apparatus idoneus.

I X.

LONGE verò diversa & multò laboriosior instituitur curandi ratio, si extremitates fracturam passæ à se invicem disjungantur, intûs projiciantur aut extûs compellantur, alia-ve supra aliam exfurgat ; tunc ad reductionem diversimodè confugiendum, imò pro re natâ ad incisionem ; apparatus vario modo disponendus. Si læsæ arteriæ intercostalis adsint signa, hæmorrhagia juxtâ artis regulas compescenda ; quod ut obtineatur, detegendus arteriæ læsæ locus, & compressione soâ, si par sit *

* Ad hunc finem adhiberi potest ingeniosa machina comprimens à M. Belloq excogitata. Vide *Comm. Reg. Chir. Acad. tom. 2.*

vel ligaturâ si necesse fuerit, ⁴ sanguinis effluxui obstandum: Emphysemati minori, vel topicis resolventibus; vel etiam incisione, si majus fuerit, succurrendum. Cæterum costis tandem adunatis, vulnus ex artis normâ deligatur.

X.

QUEMADMODUM in curandis cæterorum ossium fracturis, itâ quantum ad costas attinet, tria occurrunt observanda; primum nempe ut extremitates inter se committantur; secundam ut in statû naturali contineantur; tertium deniquè ut futura præcaveantur accidentia, & præsentia, si quæ, sunt debitis debellentur remediis.

Has Theses; DEO JUVANTE, & Præside M. FRANCISCO MICHAELE DISDIER, Artium & Chirurgiæ Magistro, Scholarum Præposito, Regiæque Chirurgorum Academiæ Consiliario, tueri conabitur, JOANNES BURGALIERE, Cadurcensis, in almâ Universitate Parisiensi, Artium liberalium Magister.

P. A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;

*Die Veneris 28^o. Septembris, a jequi-jetunâ post meridiem. usque
septimam, Anno R. S. H. 1764.*

PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.

Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.